

ciosos incurrere necesse est, si degrediantur de *via*. Humane procreator idemque redemptor naturae, Filius Dei, rex et dominus est orbis terrarum, potestatemque summam in homines obtinet cum singulos, tum iure sociatos. *Dedit ei potestatem, et honorem, et regnum : et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient* (15). *Ego autem constitutus sum rex ab eo...* *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae* (16). Debet ergo in convictu humano et societate lex valere Christi, ita ut non privatae tantum ea sit sed et publicae dux et magistra vitae. Quoniamque id ita est provisum et constitutum divinitus, nec repugnare quisquam impune potest, idcirco male consulitur rei publicae ubicumque instituta christiana non eo, quod debent, habeantur loco. Amoto Iesu, destituitur sibi humana ratio, maximo orbata praesidio et lumine : tum ipsa facile obscuratur notio causae, quae causa, Deo auctore, genuit communem societatem, quaeque in hoc consistit maxime ut, civili coniunctione adiutrice, consequantur cives naturale bonum, sed prorsus summo illi, quod supra naturam est, perfectissimoque et perpetuo bono convenienter. Occupatis rerum confusione mentibus, ingrediuntur itinere devio tam qui parent, quam qui imperant : abest enim quod tuto sequantur, et in quo consistent.

Quo pacto miserum et calamitosum aberrare de *via*, simillime deserere veritatem. Prima autem et absoluta et essentialis *veritas* Christus es, utpote Verbum Dei, consubstantialia et coaeternum Patri, unum ipse et Pater. *Ego sum via, et veritas*. Itaque, si verum quaeritur,

(15) Daniel. VII, 14. (16) Ps. II.